



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



Ed. 11.



Almificentia
Roberti Mason S. T. P.

260. 9. 6

951

d. 41



600044906T

DE
FERIARUM HEBRAEARUM
ORIGINE AC RATIONE.

AUCTORE
H E N R I C O E W A L D .

GOTTINGAE,
SUMTIBUS DIETERICHIANIS.
MDCCCXLI.





17. 4710.1

17. 4710.1

17. 4710.1

Tot inter, quae nostris temporibus continuo comparent, literarum Orientis Europae redditarum incrementa omnibus [ex Asiae regionibus congesta, hebraea antiquitas, quae olim praeclara multa ingenia, vt I. D. Michaelis in his ipsis consensibus nomen nacti haud vulgare, diu exercuit, velut neglecta a paucis admodum assidue colitur. Vires enim, quae tum temporis apud nos paene in vnam hanc Orientis latissimi ditionem inuestigandam conuersae erant, nunc multimodis diuisae sunt. De quo si est quod summopere laetemur, iterum tamen ad illam perscrutandam redeundum videtur, quo quae pridem variis e causis ad liquidum non sunt explorata, iam auctis subsidiis viribusque recenti fiducia repletis absolvere conemur.

In his est de feriis Hebraeis quaestio, quae quam grauis sit, cum antiquitatis indagatores non lateat, tum omnes, ni fallor, viri docti sentiunt: harum enim vt origo ac ratio perquam videtur esse obscura, ita auctoritas per omnes, quae deinceps irruerunt, ruinas tam parum penitus concussa est, vt vel apud nos, qui post triginta tria secula viuimus, multa inde pendeant. Ante haec nostra decennia, quibus nemo fere argumentum hoc diligenter tractauit ¹⁾, fuerunt quidem, qui quaestionem strenue agitent,

1) Vnum comperi, de eo recentius disseruisse virum subacti iudicii F. Ch. Baur in libro; *Tübinger Zeitschrift*, Jahrgang 1832, Hest I. und III. Is haud pauca vere monuit: sed cum in ritibus populorum peregrinorum comparandis nimius,

satis multi: sedtum quidem parum successerunt haec conamina limitibus disquisitionis nimis arctis coercita. Ego quam de rei capite sententiam ante hos sex et quod excurrit annos conceptam pluribusque deinde vicibus examinatum perpoliui, eam nunc Vestro, Auditores, iudicio submissam volo.

Et hoc quidem non est quod multis probem, quicumque haec omni ex parte certius intelligere cupiat, ei non esse intra scriptorum, quae non admodum multa nunc supersunt, Hebraeorum limites subsistendum, vtpote quae non nisi de temporum quorundam vel institutis vel traditionibus testimonia ac disquisitionum vltiorum fontes continent. At summam rei aggredientibus et quid Mosis siue aetas siue ingenium potius in feriis hebraeis innouauerit constitueritue quaerentibus nobis multi nostro tempore viri docti omnia haec incerta et lubrica esse nec de Mose eiusque vitâ et institutis indubitati quicquam constare respondebunt. Namque Pentateuchum non esse Mosis opus (quod rudi hoc et crasso sensu nec ipse credo); neque alibi certiora exstare, vnde haec possint dilucidari, testimonia ac documenta. Audio sane nec difficultates ignoro: at solam de his omnibus desperationem nescio vtrum magis quaestioni huic spinosae an lassitudini in hoc studiorum genere hodie munitanti tribuam. His enim extremis quadraginta annis magis, quae nequeant esse Mosis, quam quae eius re verâ sint, quaesitum est; vt cum illud sit hoc multo facilius definitu, difficillima quaeque in Mosis vitâ inuestiganda ac diiudicanda restent. Profecto non nisi fragmenta vitae et legum Mosis supersunt pauca, dissipata disiectaque, et haec ipsa pleraque temporum seriorum iniuria denovo obscurata et turbata. Quo difficilior ergo est quaestio, eo maiori industriâ ac perseuerantiâ vestigia quae detegi possunt perseguenda, dissipata colligenda, quae temporum successu aliam induerunt formam, genuino suo sensui restituenda, vbique vera et aperta et latentia indaganda sunt. Neque opera frustra impensa erit, praesertim cum de eo viro agatur, qui quaecunq; Hebraeis sunt sublimius et excelsius cogitata institutaque vnus excitauit condiditque, quemque quo propius aspicias, eo plus admiraris; vnde

in Hebraeis diiudicandis paulo iniquior sit, quaestionem magis denovo mouit quam absoluit, id praesertim negligens, vt quid Hebraeis hac in re nouum et singulare sit, discrete indicatum sciamus.

rursus concludere licet, si quid in antiquitate hebraeâ adeo insolitum ac singulare deprehendatur, vt non nisi ab vnius viri ingenio elato primitus proficisci potuerit, id ad Mosen auctorem esse referendum. Quæ quidem vt de omnibus Mosaicis valent, ita de festis diebus, de quibus hîc sermo erit faciendus. Nam locum a Mose ipso scriptum, in quo omnia huc pertinentia ordine sint pertractata, frustra quaeras: seriores demum scriptores quae a Mose vel instituta vel praeparata et incepta erant, e temporum sequiorum rationibus literis mandauerunt, idque varie ac pluribus vicibus; imo per omnium literarum hebraearum campum eius generis vestigia nunc dispersa sunt. At ex omnibus his et diligenter collectis et prudenter collatis quam egregia ac plane singularis emergat cum externae formae aptae maxime et congruae tum internae virtutis ac veritatis imago, vt non possis non altioris ingenii opus hîc latens partim augurari partim certis indiciis agnoscere, id quomodo examine instituto ipse expertus sim, ex iis quae inferius dicentur, elucebit.

Sed cum feriis hebraeis cum diebus, qui ceteris omnibus antiquitatis populis fuerunt, festis multa intercedant affinitatis vincula, de vniuersis festorum veterum causis porro quaedam praefari iuuat. Non vltimam hîc enarrabo causam: haec enim in hominis tempora nobiliora animique sui elationi ac rerum suarum labentium instaurationi fauentia distinguere et stabilire annitentis naturâ arcanâ latet, de quâ pluribus dicere huius non est loci. Sed quae interno huic motui humano extrinsecus occurrebant causae formam constituentes, tres potissimum hae sunt:

Primum, quae omnino fuit hominum antiquissimorum ratio, vt animus ipsorum externis motibus et signis facillime ac tenerrime percelleretur, eadem vt tempora quaedam mundi seu naturae externae conuersionibus et vicissitudinibus maioribus insignita sacra et festa haberentur effecit. Quae quo magis sponte suâ nascuntur, eo plus latiusque apud vetustissimos quosque populos valent; ortaue inde est magna, quâ eadem tempora nationibus maxime dissitis et diuersis continuo festa sunt, constantia admirabilis. Et multi quidem neque ignobiles populi hos intra fines substerunt, quales sunt Indi, qui secundum Manûs leges simplicissima haec festa sola quidem, sed amplissimo ambitu velut integra inuiolataque obseruabant,

vt sunt Indi aliorum quoque rituum vltimâ antiquitate ortorum tenaciores. Sed apud populos aliquot, qui licet parui numero (quae enim inter homines nobiliora existunt, e paruis circulis primitus progrediuntur), mature ad altiora assurgentes conscientiam quasi superbiori virium suarum elati erant, altera mox successit classis festorum, vt ita dicam, historicorum, e rerum quas vel gesserant vel experti erant magnarum memoriâ. Ita plerumque festa pro diuersis populorum fatibus diuersoque eorum ingenio diuersa et peculiaria nascebantur. Nec tamen vtrumque festorum genus adeo disparis est indolis, vt festa ex hoc fonte orta cum antiquioribus illis coalescere nequeant, cum deorum potentia ac virtus cum in naturâ tum in historiâ eadem sentiretur. Facillime potius apud veteres festum ex historiâ ortum vetustiori aliâ e causâ orto serius inniti eoque fulciri solebat, praesertim si eo, quo festum eiusmodi populare quotannis celebrari coeptum est, tempore diei certioris memoria iam intercidisset, id quod ad sera vsque secula accidisse exemplis satis multis compertum est. Quae quidem omnia festa vtcunque orta et propagata ad ingentem vsque numerum vastamque varietatem augeri poterant, partim polytheismo crescente, partim pro diuersis populi ordinibus negotiisque diuersis sacris institutis, vt alias taceam eius generis causas. At e tantâ, quae subinde inualescebat, mole vastâ obscurâque eiusque ruinâ paulatim incipiente denique altior siue prophetae siue legislatoris cuiusdam mens emergere poterat, nouâ vi dispersa colligens apteque disponens, caduca et manca restaurans, omnia vno lumine collustrans vnoque tenore complectens. Atque ad tale quidem fastigium ferias hebraeas siue potius mosaicas peruenisse puto, admirabiles hactenus et singulares; quae ipsarum virtus cum temporum seriorum iniuriâ obscurata sit, qualis fuerit, iam per singula expositum accipite.

I. In Hebraeos enim si propius intuemur, multa quidem apud eos deprehendere licet feriarum primitus ex solo naturae externae motu ac lege ortarum vestigia. Quae si diuerso sensu serius superinducto nunc tenebris obuoluta ac paene deleta sunt, subtilius tamen examinata non possunt non et agnosci bene et argumentis probari certis. Primum novae lunae ferias menstruas, quae omnibus priscis populis aequâ fere religione sacrae erant, eo esse referendas facile apparet. Plenae autem,

quae Indis per omnes menses aequae ac noua colebatur ¹⁾, lunae sanctitatem Hebraeorum quoque animis vetustissimam inhaesisse, e Paschatis et Tabernaculorum festi ratione conspicuum fit. Haec enim festa annua grauissima cur ambo plenâ splendente lunâ celebrata sint, causam non nisi ex ipsâ plenilunii religione quadam perantiquâ repeti posse, ex omnibus e commentationis huius serie deinceps dicendis satis, ni fallor, elucebit: ac ne quis forte eâ de re dubitet, Pascha, ei, a quo forte stato suo tempore non esset peractum, eodem mensis sequentis die peragendum fuisse Num. 9, 9—14., et Ierobeamum Tabernaculorum festi tempus, quod temere mutare maluit, in eundem mensis sequentis diem transtulisse 1 Reg. 12, 32. reputandum est. Nec non huc pertinet festi Purim persice dicti, quod sero admodum tempore duobus illis antiquis adiunctum est, solers contemplatio. Scilicet cum rei, cui Purim festum ortum suum debet, praeclare gestae memoria ita paulatim intercidisset, vt quo die olim gesta esset, nemini amplius diserte dicere liceret, festum hoc ita institutum est, vt Martii mensis dies decimus quartus et quintus siue plena luna eligeretur, quippe quo tempore aptius haud facile inueniretur ²⁾. Itaque plenae lunae

1) v. Manûs legum librum [IV. sl. 25. çll. 95. 96. Aegyptios plenilunia coluisse Iablonski docet in Pantheo Aegypt. T. 3. proleg. p. LI.; de eorum neomeniis cf. Maimonides in More Nebochim p. 488. ex transl. Buxtorf. Basil. 1629.

2) Breuiter hîc pronunciaui, quae vberius demonstrare minus huius loci esse videbatur: de festis enim hebraicis post exilium Babylonicum ortis hîc non est quod disputem. Vt tamen, quae de Esterae libro, quo Purim festi ipso hoc tempore celebrandi auctoritas nititur, sentiam, paucis complectar, librum hunc diu post Esterae obitum resque ab eâ in Persiâ olim praeclare gestas intra Palaestinae terrae fines eo tempore scriptum puto, quo victoriae de Persis olim reportatae memoriam die festo innouando recolere consultum videretur, seculo nempe quarto a. Ch. vel tertio, quo nouus Iudaeis restauratâ ciuitate rebusque publicis florentibus animus addebatur; ad Aegyptios Iudaeos festum hoc vel serius propagatum est. Videbatur enim recentis temporis indoles sui ingenii festum postcere. Tempus autem et diem, quo res, famâ haud dubie minor, olim Susis gesta esset, auctorem non sciuisse, ne plura dicam; inde patet quod toti libro nihil prorsus quod tempus certius definiat inest: nam dierum decimi tertii, quarti et quinti mentio Cap. 9. satis repetita ad dies tantum festos stabiliendos facit. Martius denique

sanctitas, quanquam praeterea apud Hebraeos oblitterata sit, in his tamen tribus festis annuis superstes dicenda est. Vtque poetae omnino antiquarum tenaciores sunt religionum ac traditionum, ita vates aliquis serioris aetatis hebraeus simul cum nouâ memorauit plenam lunam, vtrâque vt deo laudes canantur admonens Ps. 81, 4: quod nisi ex antiquâ vtriusque in religione similitudine dicatur, vix intelligitur.

Hebdomadam orbem Mose antiquiorem pluribusque populis hebraeo aetate multo prioribus communem esse satis iam a viris doctis demonstratum est ¹⁾).

Sed quod multi nunc putant, Mosen quemuis e septem diebus planetae suo sacrum inuenisse nec tamen nisi septimum Saturno sacrum mutato nomine Iehovae vel potius Iahvae dicasse, id quomodo cum historiae sinceritate conciliari possit, nondum comperi. Nam veteres Hebraei, Syri et Arabes septimum diem Sabbatum appellantes priores hebdomadis dies simpliciter e numero suo nominant ²⁾), planetae autem nomen diei inditum quodcunque ignorant. Quod quomodo fieri potuerit, si planetarum septem nomina cum hebdomadis diebus Aegyptio more eo, quem nouimus, arctissime coniuncta fuissent, equidem nescio: populis enim, qui quondam deos vel planetas diebus singulis praeesse crediderunt, post vnius dei cultum introductum nominum pristinatorum vestigia satis aperta manere, exemplis

mensis electus esse videtur, quia festi huius mens eadem fere est quae Paschatis Aprili celebrati, vt festa duo *συντηρίας* congruenter succederent. Ceterum hunc Esteræ librum qui iterum imitaretur, exstitit serius auctor libri Maccab. III.

- 1) Praeter alios a Gablero: *Neuer Versuch über die Schöpfungsgeschichte*, a. 1795.
- 2) Computatio tamen eiusmodi exactior ac constantior serioribus demum seculis inualescit: nam in V. T. praeter Sabbatum diem, qui distincto nomine ex hebdomadis ordine appelletur, alium non inueni. Nec repugno, si quis a Iudaeis inde ab exiliū Babylonici tempore nomina haec ad Syros et Arabes propagata esse putet: nam Nabataei i. e. Babylonii seriores nomina Aegyptiacis similia habuerunt stirpesque aliquot arabicae vicinae eos imitatae sunt, cf. Schol. ad Harir. p. 294. cum Gol. ad Alferganum p. 15.; Nomen *شِبَار*, quo Saturni diem appellarunt, ipsum Saturnum indicat, videturque ex *شَحَار*, quod syriace *nigrum* denotat, corruptum esse.

sat multis compertum est; similiterque prorsus in mensium nominibus syriacis mythologiae paganae indicia Syris Christianis integra seruata sunt. Speciosum quidem est, quod seriores Graeci et Romani ¹⁾ de Sabbato ex Saturni die deriuando coniecerunt potius suo modo Iudaica, quae stupebant, mira omnia explicare studentes quam demonstrarunt; videbant enim Saturnalia sua annua vt quietis festum Sabbato quodammodo respondere. Sed ne dicam, hanc similitudinem vix veram esse, Mosen septimum diem apud Aegyptios aliosque populos Saturno sacrum inuenisse probandum esset ²⁾. Atqui si vel re verâ inuenit (id quod non nego in tantâ, quae Aegyptiorum et Babyloniorum religiones vetustas hodie tegit caligine), tamen denuo, vtrum diem septimum deo an planetae e septem planetis vni sacrum inuenerit, est quaerendum. Puto autem, deo cuidam maiori primitus sacer factus est dies hebdomadis orbem claudens, similiter ac Graeci septimum diem Apollini ex vetustâ religione dicauerunt ³⁾. Nam qui hebdomadis orbem e septem planetis computatis originem vltimam traxisse putant, seriora a vetustis, artificiosa a simplicibus non satis discernere videntur. Imo cum plenae et renascentis lunae religione spatiorum inter vtramque mediorum sanctitas originitus cohaerere probabilius est, vt cum mensis natiuus quaternis septem dierum partibus paene aequalibus constet, ternae hebdomades cum quaternâ vno die maiori mensem satis aequabiliter effecerint, dies autem cuiusuis hebdomadis huius primus sacer vel saltem insignior fuerit.

1) Taciti hist. V, 4.

2) Locus enim Amosi 5, 25, quo multi hoc probatum eunt, minime huc pertinet. Mitto nunc quaestionem, an כִּיּוֹן ex Syri veteris sensu כִּיּוֹן sit pronuntiandum et ex *Kaivan* persico seu Saturno explicandum; atque vnum hoc moneo, nomen hoc کبوان esse persicae originis, *dominum* denotans, vt *kai*, *kaiv*, *kia*. Sed, quod summum est, versus hic 26 non de tempore Mosis nec de praeterito omnino intelligendus est: sed cum v. 27. ad rem futuram minando pertinet. Idola haec Amosi tempore, non Mosis, culta Israelitas in exilium missos ablaturos esse (cf. Ies. 2, 20. 21. 45, 20. 46, 1. Hos. 10, 5. 6.) irridens propheta auguratur.

3) V. quae ex graecae antiquitatis enarratoribus hausit Ideler: *Handbuch der Chronologie* T. I. p. 88 sq.

Persarum veterum fasti hoc monstrant, nisi quod fasti, qui nunc circumferuntur, paulo recentiores mensem solari anni computatione immixtâ ad certum triginta dierum numerum redigentes post primum, octauum et decimum quintum mensis diem, ne computandi ratio nimis impar sit, non secundum sed tertium vicesimum insigniunt ($7 + 7 + 8 + 8 = 30$)¹⁾. Quae computandi ratio quam parum ex planetis septem deriuata sit, facile apparet: hebdomas enim qualis Aegyptiaca est astrologica amplius variari mensisque intra terminos subsistere nequit. Nec scio, annon Moses eiusmodi simplicissimam hebdomadem inuenerit. Erat tamen e sabbati mosaici, quam inferius describemus, notione non primus, sed vltimus spatii huius dies sacrandus: poteratque non minori iure septimus insigniri, vt de Graecis vidimus. Satis mature deinde planetarum septem numerus cum hebdomade ita componi poterat, vt omissâ mensis distributione quadripartitâ septeni tantum dies continuo sibi succederent: nec nego hebdomadem hanc perfectam et aequabilem, qualis seculo fere decimo a Chr. Lev. 23, 15. 16. describitur, non sine planetarum septem orbe stabilito ortam et a populis astrologiae studiosis ad Hebraeos propagatam esse. Sed longius procul dubio temporis spatium praeterfluxit, donec planetarum nomina singulis hebdomadis diebus et indi et vsu continuo frequentari coeperint: cumque Aegyptii, Babylonii alique populi astrologicam hanc hebdomadis rationem suam facerent, Hebraei quominus idem imitarentur, monotheismo dudum introducto impediti erant. Astrologiae vim Mosis tempore iam vuisse vel Hebraeis saltem notam fuisse, ne leuissimum quidem vnde concludamus argumentum vel indicium deprehenditur; imo nomen Iahvae חַוְיָהּ LXX σαβαώθ, quod astrologiae seu siderum ac planetarum per certas classes et quasi exercitus distributorum scientiae vestigium primum inuenitur, inde a Daudis quidem tempore apparet Ps. 24, 10: sed in antiquioribus Pentateuchi et libri Iudicum narrationibus deest, haud dubie quod nomen hoc Mosis aetati alienum fuisse bene notum erat; Zodiaci autem signa duobus post Daudem seculis praeterlapsis in Palaestinam mi-

1) v. Gol. ad Alferg. p. 41. et melius hac saltem de re disserentem Th. Hyde hist. relig. vet. Pers. p. 239.

grauerunt 2 Reg. 23, 5. Quare, cum astrologiae systemata Mosis aetate Hebraeis prorsus ignota fuisse appareat, ne Saturni quidem dies eo, quo serius ex Aegyptiacâ computatione, sensu Mosi valere poterat.

Annua festa Hebraeis tria fuisse vulgo tradunt: sed minus diligenter id dici, inferius apparebit. Potius duo festa ante omnia distinguenda sunt, feriae vernaе serius Pascha dictae et auctumnales, quas festum Tabernaculorum perhibent. Quas ferias vtrasque ad amussim sibi respondere cum minus apertum videatur, hîc pluribus demonstrare operae est. Annua enim, quaecunque populis antiquis fuerint, festa diligentius contemplanti non potest non insignis maxime et grauissimus videri consensus is, quo plerique ne dicam omnes per integrum annum non nisi duo haec festa, vernum dico et auctumnales, ita celebrant, vt et omnes ciues communi feriarum sensu exercitioque commoueantur, et ambo mutuo ac necessario nexu sibi inuicem respondeant nec alterutrum sine altero possit cogitari. Sic Arabibus gemini sunt menses sacri Muharram et Rag'eb, ille primus mensium anni et ex vetusto saltem Arabum more ¹⁾ in auctumno constitutus nostro Octobri fere par, hic septimus, vt Aprili nostro sit comparandus; ex quatuor enim, qui Arabibus priscâ e religione a Muhammede non inuentâ sed seruatâ et stabilitâ sacri induciisque dicati fuerunt, mensibus vndecimus ذو القعدة *Dul-qa'dah* (i. e. quo e turbis bellicis ad quietem redeundum est) et duodecimus ذو الحجة *Dul-h'igg'ah* (i. e. peregrinationi sacrae destinatus) non alio consilio sacri erant, nisi vt Muharram mensi omnium sacratissimo viam munirent, quandoquidem ad conuentus omnium Arabum latissime sparsorum sacro loco celebrandos diuturnis opus erat peregrinationibus induciisque. Quâ eâdem ratione Babyloniis initium mensis *Nisân* Aprili nostro fere aequiparandi et plenam lunam mensis *Tishrii prioris* siue Octobris nostri summis duobus festis annuis dicata fuisse, ex

1) Muhammed enim Sur. 9, 36. 37. lunares menses sine intercalatione continuo sibi succedere iussit, vt euitaret scilicet turbas quae cum eâ saepe cohaerebant; quo factô annus Islamiticus portenti instar factus est omnibusque vel veterum minusque cultorum populorum annis ineptior. Puto tamen interpretes Qorani malum suâ ipsorum culpâ auxisse. — Ceterum ante Islamismum menses arabicos cum anni tempestatibus congruos fuisse, nomina plurimorum etymis suis probant.

Nabataeorum seriorum institutis apparet ¹⁾. Si vero Semitis omnibus missis ad populos alienos oculos conuertas, apud Indos aequae ac Persas et Graecos similia inuenies. Indis ex Manûs quidem auctoritate non ver tantum atque auctumnus sed solstitia quoque et aestiuum et hibernum aequâ religione celebranda sunt ²⁾: sed vel contra hanc legem vitae popularis vsus non nisi verna et auctumnalia festa maximo ardore studioque prosequi didicit ³⁾. Persae veteres tum mensis, qui ex ipsorum anno est, primi *Fervardin* dicti inque veris limine collocati initio festum celebrabant clarissimum نوروز *Neurúz* dictum, cuius ne nunc quidem inter Moslimos Persicos memoria grata interiit, tum mense septimo, qui Octobri nostro respondet, مهرگان *Mihrgân* dictus, medio sacra faciebant Mithriaca, ritibus vtrique similibus; fueruntque haec duo festa iis quae quotannis in solstitiis celebrabant et reliquis multo nobiliora ⁴⁾: vnde Persas hac in re ad Babylonios proxime accessisse patet. E Graecorum denique festis plurimis Thargelia et Pyanepsia huc pertinent, Aprili et Octobri mensibus nostris Athenis ita celebrata, vt et dii quibus sacra fiebant et ritus sensusque eorum vniuersus essent iidem: Apollini enim et Dianae sacrum erat vtrumque

-
- 1) V. testimonia Arabum in Hottingeri hist. orient. Tigur. 1660. p. 267 sq. 275. Nabataeos Babyloniorum cultum ritus religionesque satis bene seruasse ne quis dubitet, adeat qui nuper de iis disseruit St. Quatermerium in Nouo Diario Soc. As. Par. 1835. m. Ian. Febr. et Martio.
- 2) Manûs leg. IV. çl. 26.
- 3) Consequitur id e recentiorum Indiae perscrutatorum testimoniis, quae, sine iudicio tamen vt assolet, collegit Rhode über relig. Bildung, Myth. und Philos. der Hindus T. I. p. 338. II. p. 261. Festa haec nunc Durgae deae sacra sunt. Festiuiores tamen semper fuerunt dies verni *Huli* seu *Huláká* dicti, de quibus antiquissimus, quem vidi, testis est Kálidásas in Sacuntalâ act. VI. trad. B. Hirzelii p. 77.; in Vedis tamen eorum mentionem inuenisse se dicit Ionesius in Asiatic. Res. trad. fr. T. II. p. 374.
- 4) V. auctores laudatos a Golio ad Alferganium p. 20 sq. 24 sq. 42; Th. Hyde hist. religionis vet. Persarum p. 237 sqq. 245 sqq. 248. 249. Plena lunae sanctitatem Persis e religione vetustissimâ serius oblitteratâ (nam anno solari utebantur Zoroastrici) mansisse, inde quoque elucet, quod vndecimi mensis sacra nocturna eodem, quo septimi, die faciebant, sexto decimo.

festum rurale 1). Quae tanta vsus vbique fere obtinentis constantia habet tamen quo facile explicetur. Ver enim et auctumnus in aequabili anni decursu duo videntur esse cardines siue poli, quos anni rota circumuoluitur, cum quietem ac stabilitatem maiorem in discrimine ac velut viarum diuortio praebentes, tum vero etiam ad nouum cursum promouendum recenti vi et impetu impellentes. His in limitibus et gaudii ac gratiarum agendarum sensus facilius excitatur homini praeteritae partis memori, et futurarum rerum metus grauius inualescit partem reliquam reputanti; omniaque in subobsuro illo et ancipiti statu haerere videntur, qui ob graua rerum discrimina ac conuersiones a solitis auocat negotiis peragendis. Vnde alterutrum spatium antiquis populis plerisque anni initium habitum est: solstitia enim multo rarius quam aequinoctia ad anni renascens caput insigniendum traducta esse satis constat; sed potius aut ver aut auctumnus huc traducebatur, vsu per populos et tempora vario, imo vel per populi cuiusdam ordines fluctuante: nam sacerdotes passim aliud instituisse initium ac plebs ab atavis acceptum celebrare consueuerat, Hebraeorum exemplum docet. At siue a vere, siue ab auctumno anni caput duceretur, vtriusque festi magna semper erat similitudo mutusque nexus ceremoniis cuique idoneis insignitus, cum discrimen rursus quoddam in ipsa similitudine natura sanxerit. Auctumno, frugibus quibuscunque collectis, omnia in laetitiam exultationemque effusam prona erant; ipsaque pompa frugibus transferendis et ramis olearum, salicum palmarumque gestandis ducebatur Hebraeis Lev. 23, 40. cll. Neh. 8, 15., vt Graecis *Θαλλοῖς καὶ ὄσχαῖς* 2). Verno contra tempore quae feriae agebantur, variae admodum

1) V. Meursii Graeciam feriatam s. v. *Θαργήλια* et *Πυανέψια*; breuius haec tanguntur in Corsini fastis Atticis Vol. II. p. 337 sqq. De iis quae Graeciam spectant suauiter disserentem nuper audiui sodalem nostrum antiquitatis peritissimum C. O. Müller.

2) Vnde *ὄσχοφορία* i. q. *πυανέψια*, v. iterum Meursium s. v. *Ὀσχοφορία*. Ceterum Tabernaculorum solennitati cum Lenaeis quoque ac Dionysiacis multum affinitatis fuisse non nego; quanquam multos eius generis ritus Iudaeos seriores e Graecorum demum exemplo mutuatos esse e Plutarchi Sympos. IV, 5. Rabbi-

et multiplices erant, explicituque propterea difficiliores. Si tamen omnes, quae ad eas pertinent, ceremonias varias consideramus, duplicis tantum generis vernas ferias quascunque fuisse apparebit. Aut ad primitias frugum anni recentis cum votis partim, partim cum gaudio laetitiâque offerendas ceremoniae pertinent, aut ad expiationem, quâ lustrati homines integri inuiolatique annum nouum eiusque frugum vbertatem benignam ingrediantur. Quas quidem partes feriarum duas ita cohaerere facile patet, vt expiationis ritus praeui ad summum anni recentis munus, quod primitiis offerendis seu tributo anni congruo reddendo continetur, viam muniant.

Primitias igitur frugum cum votis nuncupandis gratiisque agendis offerre eo grauior semper verni festi pars est habita, quo libentius vetustiores saltem homines terrae frugiferae vitaeque in eâ lautioris dona ac comoda ad deos referebant; quod nescio an vllibi melius sensum verbisque aptis expressum sit quam loco Deut. 26, 1—11. Apud Indos simplicem hunc primitias offerendi ritum diu obtinuisse, e Manû constat seuerè eum inculcante ¹⁾. Poterantque vt in Indiâ ac Graeciâ ita in Palaestinae finibus primitiae hac vernâ tempestâte facili negotio offerri, cum frumentorum messis Aprili mense instaret, ad finem autem vergente Aprili et Maio in eunte vbique opere feruente ageretur, denique Iunio mense incipiente nullibi non prorsum absoluta esset ²⁾.

Harum primitiarum vltimâ antiquitate ortarum reliquias puto esse azyma verno festo propria. Quae vnde orta sint quidue sibi velint, difficilius quidem inuentu est, quoniam in ipso V. T. varia de eorum ortu ac vi tradita reperiuntur. Facem tamen, si quid video, iure praeferet locus Ios. 5, 11 sq., qui liber, etsi multis post Iosnam seculis scriptus, antiquae ac genuinae traditionis scintillas raras continet. Ibi Israelitae Palaestinam intrantes, postquam singularis deserti cibus desiisset, e terrae prouentu

norumque effatis satis bene arguit Lakemacher obs. philologg. T. I. p. 17—78., qui idem tamen locum Ps. 118, 27. infeliciter tractat T. 2, p. 197—208.

1) Manûs legum l. IV. cl. 26—28.

2) Quod inter alios iam I. D. Michaelis demonstrauit in commentatione de mensibus Hebraeorum, v. eius commentt. per annos 1768—1768 praelectas p. 17 sqq.

azyma et frumentum tostum postridie Paschatis festum edisse dicuntur. Vnde discimus, et frumenta praecipua terrae frugiferae dona diuina habita esse, et primitias anni offerendas a rudi frumenti massâ incepisse, idque, puto, propterea quod eodem, quo messe vix incipiente primitiae hae reddendae erant, die frumentum non nisi propere praeparari, non fermentari tempestiue poterat; neque obliuiscendum videtur, in sacris simpliciores ritus, quibus panis haud fermentatus granaque tosta accensenda sunt, ex remotâ antiquitate fidelius seruari. Et grana quidem tosta (קִלְיִי vel קְלִיָּה, οὐλαὶ κριθῶν Homeri) altari destinata esse e Lev. 2, 14—16. elucet: panis autem azymus semper ab ipsis sacrificium celebrantibus comestus esse videtur, hac lege datâ, vt ne quid frumenti recentis ante hoc festum comederetur, cf. Lev. 23, 14. Sed haec prima azymorum vis ac ratio paulatim ita obliteratur, vt alia ei substituatur serioribus propior ac dilucidior. Vt enim ad sacrificia illibata quaeque et simplicia pertinere credebant, vtque in reliquis omnibus sacrificiis altari destinatum frumentum eiusmodi haud mixtum requirebatur Lev. 2, 4—13. cll. Ex. 23, 18., ita azymi panes purior¹⁾ et sanctior cibus habebantur, ieiunus quidem nec valde delectabilis Deut. 16, 3., sed ob id ipsum cum festo seuro bene congruus; in expiatoriis quoque ceremoniis, quibus vernum festum non adeo dissimile videri poterat, azymorum vsum adamatum fuisse e sacerdotes et Leuitas

1) Idem etymon vocis hebraeae monstrat, de quo tamen, cum admodum difficile sit, pluribus dicere liceat. Cum מַצוֹת saepius panes vel aliam massam subactam denotare videatur, etymon e notione *deprendi* deriuari possit, מַץ enim מֵץ cognatum cum מַשׁ fortius comprimere, essetque ita graecum μάζα a μάσσω, quod putat Hüllmannus (Staatsverfassung der Israeliten S. 123.), et sono et notione idem vocabulum. Sed manifesto obstat locus Lev. 2, 5., vbi farina in sartagine non subigenda, sed versanda מַצָּה dicitur. Vnde potius adiectiuum מַץ *purum*, nec dulci nec acido mixtum (Lev. 2, 11.) significare dicendum, notione a fluendi (מַס), liquescendi etymo desumptâ, latini *liquidus* instar, cll. مَصَاص. Probat idem aramaeum מַצָּר ad Arabes فَطِير traductum, quod liberum, immune, simplex primitus indicat; et contrarium מַצָּרִי, aram. מַצָּרִי arab. فَمِير *fermentatum* a mixto, turbido dictum. Ceterum *purum* notionem in ἄζυμος quoque semper grauissimam fuisse, monstrat serior dictio 1 Cor. 5, 7.

inaugurandi rituum delineatione Lev. 8, 26. Nu. 6, 15, 19 non temere concluditur. Ita vero azyma verno festo comedenda vt e recentis anni frumento pararentur non amplius necesse videbatur, saltem id iam loci Ex. 12—14. Lev. 23, 6—14. nec postulant nec supponunt.

Sacrificium vero cruentum verno festo expiationis gratiâ praeuium Paschatis nomine mansit. Hoc enim antiquissimum esse sacrificium diu ante Mosis tempora vsitatum, et nomen eius obsoletae in linguâ vulgari significationis ¹⁾ probat, et ritus priscae aetatis ingenium spirantes legibusque mosaicis ob ipsam aetatem venerandam confirmati ac sanciti demonstrant. Nam lex primum vt Pascha a patrefamilias ²⁾ mactatum priuatos intra parietes, quod praeterea nullatenus licebat, ab omni masculo comederetur diserte permisit Ex. 12, 3 sqq. Porro sanguinis domus sacrandae postibus et superliminari illiti ritus Ex. 12, 7. 22—23. antiquitus a patrefamilias eodemque sacerdote re verâ peractus est, hac scilicet mente hisque votis, vt quae proximâ aestate instarent pericula a familiâ recederent ³⁾.

-
- 1) Vt de etymo sententiam dicam, radicem פסח cum פס cognatisque, quae soluendi, spargendi ac dilatandi (فسح) notiones complectuntur, comparandam puto. Tres inde deriuatae sunt notiones hae: 1) de numero vel copiâ dilabente dictum *diminui*, consumi significant פס hebr., פסח, فسح; 2) de membro soluto, luxato dictum פסח *claudum* denotat, فسح; 3) de pede vel gressu lato, distento dictum denotat *salire* פסח, فسح Ies. 27, 4., vnde *transgredi* legem i. e. peccare פסח, فسح, et aliâ ratione *transgredi* peccatum i. e. *parcere* ipsum פסח notat, vt פסח sint dei *parcentis* sacra. Ita פסח ex antiqui etymi memoriâ explicatur Ex. 12, 13. 23. 27. cll. עבר v. 23: praeterea semel tantum verbi vsum innovauit Iesaias 31, 5. ex Paschatis haud dubie recordatione recenti. Philo, Euseb. h. e. 7, 32. aliique Patres Pascha bene voce διαβατήρια sacrificium *felicis transitus* gratiâ peractum significante dilucidant, modo hic non de fluuiio, sed de anno traiciendo periculisque et metu recentis anni effugiendis cogites.
- 2) Consequitur id ex Ex. 12, 6: quanquam seriori tempore sacerdotes id sibi sumsisse ex Ezr. 6, 20. cll. 2 Chr. 29, 24 sqq. liquet.
- 3) At serius ritus hic adeo obsoleuit, vt Rabbini legem hanc semel tantum in Aegypto valuisse putent, temere, si quid video. Ceterum ritus huius vim poesis saltem satis bene tenuit Ez. 9, 4. Apoc. 7, 1—8.

Carnis sacrificii non crudae ¹⁾ quidem, at neque coctae ²⁾, sed ad purum ignem assae esus Ex. 12, 7. 8. iussus iisdem ex priscis temporibus mansit, vt. Homerum heroes carne assâ vescentes introducere dudum annotatum est. Lactucis amaris (מררים) Ex. 12, 8. vt opsoniis erat vtendum, quod sacrificium expiatorio simile tristi potius amaroque quam laeto sensu esset peragendum; omnis denique caro eodem die erat consumenda Ex. 12, 10., quod carnem sacram spernere atque interitui vilique vsui committere nefas videretur, idem enim in aliis quoque sacrificiis pari fere religione obseruabatur Lev. 2, 3, 4, 11. 12. 21. Monetur quoque ne ossa frangantur Ex. 12, 46., scilicet vt sacrum animal illaesum quasi et inuiolatum maneret. — Cur autem sacrificale animal e genere ouillo vel caprino ductum sit, multum quidem ab antiquitatis indagatoribus disceptatum est. Rab- bini, Spencero ³⁾ approbante, ut Hebraei arietem ex Aegyptiorum super- stitione sacrum mactando et comedendo vilipendere ac despiciere discerent, deum hoc sacrificio instituto efficere voluisse putant: quod quam parum idoneum sit, facile apparet; tota enim haec antiquitatis hebraeae et aegy- ptiacae contemplandae ratio, quâ Mosi consilia vel anxia et metus plena vel fragilia valde ac temeraria affingunt, vitio laborat natiuo. Contra qui ex Aegyptiorum Thebanorum arietem ob Solis veris initio in Arietem Zodiaci signum primum ingressum immolantium imitatione sacrificium hoc mansisse sibi persuadent ⁴⁾, secum haud reputasse videntur, Hebraeis Zo- diaci signa ad secula octauum et septimum vsque prorsus ignota fuisse; מְזֻלָּה enim vox Zodiaci signa denotans cum astrologiae systemate diu post Mosen in Palaestinam migravit 2 Reg. 23, 5. Facit quoque contra has opiniones quod non tam aries מְזֻלָּה Num. 28, 11 sqq., quam multo latius אֶיִם i. e. e pecore vel ouillo vel caprino animal masculinum postulatur, atque

1) Crudae carnis vsum ferocitatem humanam immense augentem vel nunc in Indiâ passim valere, v. in Transactions of the As. Soc. of London T. 3. p. 379—82. expositum.

2) מְזֻלָּה est bene coctus aquâ, vt, quod idem accentus iubent, duo priora vocabula arctius iungantur, cf. מְזֻלָּה Ps. 64, 7.

3) De legg. Hebraeorum ritualibus ed. Lips. p. 390. sqq.

4) Vt loco Herod. 2, 42. e Creuzeri mente explicitè nixus Baur l. c. p. 42 sqq.

vel bos permittitur Deut. 16, 1. Qui vero ad omnem, quae Hebraeis fuit, sacrificiorum cruentorum rationem loco potissimum Lev. c. 4. exacte descriptam bene attenderit, simulque Pascha domestici, quale primitus fuit, sacrificii ritus seruasse tenuerit, ei, puto, animal hoc propterea huic festo sacrum mansisse videbitur, quod singulae familiae sufficeret eiusque rationibus egregie responderet, utpote nec nimis tenue et vile, ut indignum haberi posset, nec splendidum nimis et lautum, ut pauperi domui ab eo esset abstinendum. Similiter Indis priscis non nisi simplex *paçus* i. e. pecus vnum cum primitiis verno tempore offerendum praescriptum erat ¹⁾; et hodie adeo velut ex vetustâ rei memoriâ ad Sinai montis radices animal eiusmodi a familias patre votum explente nonnunquam immolatur ²⁾: quod moneo, ut quam parum animal hoc e longinquo petere opus sit, appareat.

Omnes hîc vides, quae serius perstiterunt, dierum festorum ante Mosen vsitatorum ceremoniarumque eo pertinentium reliquias satis multas et graues. Manserunt tamen omnes e feriis naturae impetu ortis: neque historici sensus festorum ante Mosen institutorum vestigium vllum adest. Quodsi ergo iam

II. quid a Mosè institutum innouatumque sit quaerimus, postquam quae ab eo auctore proficisci non potuerint apparuit, tutius respondere licebit. Vix enim quicquam noui per Mosen accessit praeter spiritum novum, qui cum omnino mosaicam religionem permeans in mundum venit, tum ferias veteres transformando et innouando suas fecit. Vnam dixeris ideam sublimiorem velut radium ex toto Mosis lumine prodeuntem hanc ditionem collustrasse. Quod enim (ut historici partes agens breuius haec complectar) religio haec summum ac praecipuum ponit, ut tam singulis quisque quam totus populus se suaque omnia semper et vnice deo dicet vero in eiusque animo ac spiritu continuo moueatur, requiem aequae ac virium instaurationem in puro sanctoque nanciscens: id cum in vitâ vulgari ob varias eius turbas aerumnasque nec semper nec satis prorsusque

1) Manûs leg. IV. çl. 27. 28.

2) v. Burckhardt travels in Syria p. 430 sq.

compleri et ratum fieri queat, ne tamen penitus incassum maneat sed temporum successu auctum potius et sustentatum crescat, singula instituere visum est temporis momenta reciproca seu periodos huic fini et vsui soli dicatas, diuinae quasi vitae haud interruptae turbataeque specimina ac praeludia, vel Sabbata ¹⁾ i. e. otia, quibus omnia ad integrum purumque statum viribus instauratis reditura quieti vacent, sacra. Quae quidem idea si nec reliquis antiquitatis populis prorsus deest, at nullibi, quantum scio, tantâ luce tanque audaci libertatis conscientia assurrexit, quantâ Mose auctore apud Hebraeos veteres. Vt enim cuique ideae primâ vice sui consciae et dilucidae factae proprium est, vt ingenti vi ac fiducia nixa prodeat difficillima quaeque et remotissima audacter tentans: ita haec de feriis veris notio, quam primum oritur iuuenili robore ac ferocia instructa, statim ad summa tendit et omnia complecti ac penetrare annititur. Igitur cum otia haec tempora omnia ita peruadere congruum sit, vt ipsas temporis vicissitudines, quas vel natura externa vel humanarum rerum conditio constituit, vbiuis comitentur et sequantur: et minores orbis recurrunt, quibus otii sacri aequabilitas ac constantia, et maiores, quibus eius incrementa ac progressus, et maximi, quibus eius fastigia eluceant. Cumque turbae et aerumnae variae sint rationis, aliae vitae quotidianae eaeque maxime conspicuae et quemque hominem aequae attingentes, aliae diuturniores atque obscurius totum populum penetrantes, aliae sensim ad ingentem molem tarde crescentes: otia pro omnibus his varia constituentur necesse est. Et quamquam in hominum, eorumque sine discrimine omnium, commodum verum omnia cedant, tamen nec ceterorum animalium rerumque humanos labores et turbas perpetientium otia exclusa sunt, quandoquidem religiones veteres multae, praesertim mosaica, in hoc res inter humanas terrestresque nexu mutuo concipiendo admodum teneri sint sensus. E quibus omnibus prodiit simplex, at perfectum satis et dilucidum systema hoc tripartitum, vt otia seu Sabbata essent et dierum in hebdomadam decursu ad viui cuiusque e negotiis quotidianis restorationem, et hebdomadam atque mensium in anni

¹⁾ Breuiter subiungo, Sabbata non tantum hebdomadam esse plerumque ita simpliciter appellata, sed quaslibet ferias.

orbe ad populum vniuersum e domesticarum rerum angustiis liberandum, et annorum denique integrorum ad terram ipsamque ciuitatem e grauioribus, qui paulatim populo agrorum praecipue cultui dedito increscunt laboribus calamitatibusque recreandas. Quo in genere si quaedam partim benignius et clementius, partim ex poetae potius vel prophetae audaciâ ita constituta sunt, vt nostri temporis legum indoles ab iis maxime abhorreat: tamen voluntas ideae talia extruentis sincera et egregia agnoscenda est. Cumque quae prius aderant feriarum elementa nouo hoc instituto disponenda et emendanda, non destruenda essent, orbis in quo omnia haec voluantur, septenarius numerus ita factus est, vt e septem spatiis aequalibus vltimum otio et instaurationi inseruiat; hunc enim numerum in minimo, qui omnibus fundamenti et exempli loco esset, hebdomadis orbe Moses quomodo inuenerit, superius dictum est. Vt enim iam ad singula transeam,

1. septenus dies sacer *ferias dierum* facit, quae otium viui cuiusque e negotiis et turbis quotidianis dent, maxime aequabiles et constantes, conspicuae quoque satis et grauissimi in vitam cuiusque hominis, et serui et liberi, momenti. Hae enim paruis interuallis interiectis vt homo inferioribus consulto missis vera ac diuina uoce quaerat iisque recreetur perpetuo postulant. Quae feriae vt ceteris omnibus fundamenti loco sint, quâ mente homo temporis vitaeque vsum facere debeat perpetuo docentes, a Mose primo institutum est. Scilicet orbem quidem hebdomadis sacrum Moses ante sua tempora ortum vidit: sed ratio, quâ vltimum diem sacrum esse voluit, plane noua est ac singularis. Quantâ cum difficultate ad ferias hoc sensu nouas et inauditas introducendas primis temporibus colluctandum fuerit, ex traditionibus aliquot aetatis illius indolem monstrantibus elucet Num. 15, 32—36. cll. Ex. c. 16.; etiam quâuis datâ opportunitate earum sanctitas necessitasque diuina inculcatur Ex. 20, 9. 11. cll. 23, 12, 31, 12—17. 34, 21. 35, 1—3. etc. Quod quidem non propterea fit, quod rem temere inuentam iussamque primi Mosis discipuli vtcunque sustinere depreuerint, nec tantum quod Sabbatum externum, quo Mosaismus a reliquis religionibus differret, signum erat: sed quia, quid religio haec poscat, Sabbato instituto dilucidius est expressum quam villo alio ritu et signo, atque feriae

hae perpetuae infimum, at necessarium totius, ad quam aspirabat ciuitas, vitae diuinae gradum efficiunt.

2. Sequuntur in anni orbe *hebdomadum mensiumque feriae*, quas *populi* ad locum sacrum congregati *ferias* non minus bene dixeris. Earum ratio e Mosis mente vera nunc varias ob causas obscurior est facta, primum quoniam annuae feriae singulae ipsae admodum variae sunt fatisque multiplicibus obnoxiae; deinde quod antiquorum rituum vis in his, quae fere solae antiquitus sacrae fuerant, feriis plurimum valebat; nec in duodecim anni mensium serie tam aequabilis per septenarium numerum progressus legislatori permissus erat, vt annuarum feriarum conditio simplicissima oriri potuerit. Omnibus tamen pluries perpensis nunc de difficilioribus his ita statuo: manserunt quidem duo, quae pridem inualuerant, festa praecipua, vernum et auctumnale, ita vt vtriusque dimidiae anni partis non finis, quod exspectamus, sed initium hactenus insigniretur. Quaquam exactior statim vtriusque forma a legislatore congruenter ita adornata est, vt et vernum et auctumnale festum inde a plenâ lunâ seu die mensis XV per integram hebdomadem continuaretur, vtrumque autem die expiationi sacro praepararetur (expiatoria enim praeuia ¹⁾ veteres ante festa maiora amabant), die contra laetiore sequente consummaretur; praeuium illum diem primitus vtrinque X ante d. mensis XV fuisse mox patebit ²⁾. Cumque in hebdomadis huius sacrae et vernae et auctumnalis decursu non nisi vnus dies panegyri seu concioni, ad quam vniuersus populus vndique conflueret, sacrae datus esset, reliqui non otio vniuerso terendi, sed a sacerdotibus tantum sacrificiis aptis insigniendi essent: sex inde prodire patet dies annuos panegyri solemnibus dicatos. Sed dum in his praeter hebdomadam duarum sanctitatem vix quidquam mosaicum ingenium spirat, aliis rationibus feriarum mosaicarum indoles efficacius prodit. Primum eo,

1) Quae bene differunt a sacrificiis breui post gaudia ad id, quod in his forte peccatum sit, expiandum oblati, cuius expiationis exemplum v. Iobi 1, 4. 5., et quo pertinere puto hircum in cuiusque festi diei fine מנענע ad *piaculum* offerendum, Num. 28, 15. 22. 30. 29, 5. 11. 16. 19. 22. 25. 28. 31. 34. 38.

2) Similiter atque Arabibus festi maximî annui initium decimo mensis die fit, v. Gol. ad Alferg. p. 8.

quod initio anni sacri a vere computato ¹⁾ *septem hebdomades priores*, quibus frumentorum omnis generis messis vbique et incipitur et absoluitur annique totius dona vtilissima colliguntur, velut porta anni nobilior siue introitus sanctior secuturi anni decursum praeparans distinguuntur. Deinde eo, quod vernis feriis non nisi vt praeviis et in limine noui anni necessariis celebrandis, *septimo contra mense* prae ceteris vt mensium Sabbatho insigniendo et in anni quasi fastigio collocando omnium totius anni feriarum nexus arctissimus e sensu vere mosaico restituitur; quocum bene conspirat, quod septimus mensis, qui est auctumnalis, post omnem anni vbertatem vndique collectam per se otio longiori maxime idoneus est. Itaque inter festa mensium primi ac septimi gemina et aequalia auctumni tamen feriae splendidiores atque excelsiores sunt: quoque totus mensis septimus hac maiestate clarius niteat ac dignius incipiat, noua eius luna sola inter aequales suas annui festi splendorem induere iussa est. Denique, cum septimum nouilunium ita ad annuorum festorum nobilitatem accedat, toti tamen anno omnino non nisi *septem dies festi* panegyri destinati (מקראי שבעה) dati sunt, vt septies quotannis populus ad locum sacrum congregandus sit: reliqui enim dies sacri a sacerdotibus tantum obeundi erant. Sic constitutus anni orbis ita deuoluitur, vt prior eius pars a noui anni meta primisque frugibus percipiendis incipiat, posterior ab extremis iam perceptis omnique annuâ vbertate gustatâ proficiscatur, vtque vota, quae initio fiunt, pia sedulumque salutis noui anni recuperandae studium, anni maturi laetitiam et otium longius vt praemia digna afferant. Vides ex hac breui totius orbis delineatione, omnia quâ fieri poterat simplicitate primitus disposita esse; singula proinde haec sunt. Verno tempore

1) praecedit dies expiatione quasi viam muniens, sed non tam eorum, quae praeterito tempore homines peccauerint, memoriae sacer, quam potius irae diuinae pericula ab anno recenti inessique instanti auersurus. Cruentum igitur paratur sacrificium inclytum illud Pascha, quod quidem

1) Vt diserte praecipitur Ex. 12, 2.; in vitâ autem vulgari Hebraeis aequae ac Syris anni initium ab auctumno potius poni, ex locutione auctoris Ex. 23, 16. apparet.

primitus decimo mensis die aut inceptum aut peractum esse ex Ex. 12, 3. concludendum est: neque enim alia cerni potest causa, quâ ibi hoc die agnum eligendum esse dicatur, nisi id ex vetustâ initii olim hoc die facti memoriâ fluxisse putes ¹⁾. Sequitur

2) festum principale, inde a die XV per septem dies ita continuatum, vt e ritu supra explicito in messis initio azymis esset vescendum primitiisque praecocibus sacrificandum, ex hordeaceo, vt videtur, frumento, quod omnium primum maturescere e 2 Regg. 4, 42. intelligitur. Sed postquam mature, vt inferius demonstrabitur, festum hoc cum Paschate ad memoriam angustiae salutisque aegyptiacae traductum est, nonnulla hîc mutari coeperunt. Quo enim propius festa haec vicina iungerent, primum res ita instituta est, vt Pascha diei XIV vespere, Azyma inde a die XV celebranda essent Lev. 23, 5. 6 sqq. Num. 28, 16. 17 sqq. cll. loco antiquiore Ex. 23, 15. (repetito 34, 18.), vbi hoc festum principale sine Paschate laudatur; deinde in narratione Ex. 12. paulo seriore vtrumque eo confunditur, quod azyma statim vnâ cum Paschate comedi iubentur; postremo Paschatis nomen solum manet festumque ex duobus coniunctum die XIV incipere simpliciter monetur Deut. 16, 1—8. Ezech. 45, 21—24. etc. Iamque panegyres etiam duae festi mixti in primum et vltimum hebdomadis a die XV sacrae dilatae sunt Lev. 23, 7. 8. Nec non agrarius festi sensus paulatim minus grauis necessariusque est habitus: vt Lev. 23, 9—14 non nisi manipulum recentium spicarum primum offerre sacerdos iubeatur, idque postridie Sabbatum seu primum festi ²⁾ diem.

3) messis ita incepta postquam vbique terrarum (nam in aliis maturior est, in aliis serior) et ex omni frumentorum, tritici quoque, genere

1) Taceo interpretum sententiam, qui hoc Israelitis in Aegypto tantum faciendum fuisse, quasi historici simplicis partes agat Exodi auctor.

2) Quod si de azymis sine Paschate seu de die XV mensis intelligis, vt Iudaei seriores voluerunt, haud quidem cum computatione Pentecostes Lev. 23, 15. 16., at cum Ios. 5, 11. non conspirat: sed cum scriptorem Pascha seu diem XIV intelligi velle non appareat, seriores hanc esse ritus mutationem, denuo discimus. Primitus tamen saltem sacrum solemne primitiarum haud dubie die azymorum primo factum esse putandum est.

prorsus finita erat, post septem has hebdomades sacras festum vernum consummatur die septimae hebdomadis septimo (seu post diem XIV Paschatis quinquagesimo) primitiis panis fermentati offerendis paneque fermentato recenti laete vescendo; est hoc חַג הַקֶּצִיר *festum messis* frumenti *finitae* Ex. 23, 16., vel potius יוֹם הַבְּכּוּרִים *dies primitiarum* (qui vt ultimus festi dies satis a *festo primitiarum* differt) Num. 28, 26.; aliud nomen breuius est חַג שִׁמְעוֹת *festum hebdomadum* sacrarum Deut. 16, 10. Quam arcte hic dies cum festo maiori cohaereat vt eius pedissequus, e ratione quâ idem Lev. 23, 9—22. describitur, satis apparet; poteratque Ez. 45, 21. mentionem eius prorsus omittere. Quam mirus autem sit eorum error, qui Pentecostes festum per integram hebdomadem durasse putant ¹⁾, non est quod multis insuper probem.

Quae autem ita in prioris semestris limine aguntur, ad alterum eo festiuius incipiendum viam muniunt, vt anni fastigium *mense septimo* omnium summo et sacratissimo emergat. Vnde mensis huius Sabbatici dignitas celsissima statim *nouilunio* eius insignitur prae ceteris sacro. Magno strepitu tubisque laetis alte resonantibus dies panegyri solemnī celebrandae indicitur, יוֹם הַרְוֵעָה *dies clangoris* dictus Lev. 23, 23. 24. Num. 29, 1—6. Quâ ratione cum nouilunia hōc ex ipsorum numero insignito omnia nobilitata essent, feliciter euenit, vt reliqua paulatim minoris habere discerent ²⁾. Indictum vero ita festum Paschati seu potius Azymis respondens tripartitum hoc est, vt

1) dies X expiationi sacer praecedat. Hoc festum a Paschate, cuius simile est, eo differt, quod non futura irae diuinae pericula auertit, sed quae praeterlapso anno commissa sunt peccata expiat, ne quis indignus et scelere non expiato contaminatus laetissimum, quod proxime succedit, anni tempus ingrediatur. Igitur cum ieiuniis ac reliquis poenitentiae generibus coniunctum est festum omnium maxime seuerum et graue, nec intra do-

1) Quos inter doleo quod etiam I. D. Michaelis fuit, mosaisches Recht T. IV. p. 180.

2) Nouilunia omnia antiquitus summâ laetitiâ esse celebrata e 1 Sam. 20, 5. 24. 27. discimus; paulatim Sabbatis (vulgaribus aequiparantur Am. 8, 5: lex non panegyri, sed sacrificiis tantum a sacerdotibus vt nouilunia insigniantur praecipit Num. 28, 11—15.

mestica subsistit, vt Pascha, sed totius ciuitatis expiationem sacraque huic fini inseruientia publica poscit; vt tanto Paschatis diei grauitate antecellat, quanto mensis septimus primo (quanquam serius Pascha, cum historico sensu adauctum esset, a populo multo maioris haberi coepit). Lev. 16. 23, 26—32. Num. 29, 7—11. Vtque nomen יום הכִּפּוּרִים *dies expiationis* recens est, ita notio festi diei huius mere mosaica est, vt Mosen primum eum instituisse non possis non agnoscere. Ex vetere tamen superstitione in populo seruata ritus quidam ei adhaesit, quem inuito Mose e vitae vsu accessisse puto Lev. 16, 5—28.

2) sequitur festum principale, חַג הַסֻּכּוֹת *f. tabernaculorum* dictum, a XV mensis die per integram hebdomadem continuatum, post omnes fruges, vinum quoque, collectas laetitiaie campi gratisque agendis sacrum; cui

3) vt cumulus et finis omnium accedit *dies octauus*, summae laetitiaie sacer, nocturna quoque celebratione (Ies. 30, 29.) insignis, ad quam agendam vndique ingens hominum copia confluit; cf. de omnibus octo diebus Lev. 23, 33—43. Num. 29, 12—38. Senior tamen legislator Deut. 16, 13—15. de septem tantum diebus loquitur, quasi octauum hunc diem improbens, idemque nomen עֲצֵרֶת *panegyris frequentissima* in Leuit. et Num. huic diei proprium in vltimum Paschatis diem transfert: quod quantopere inuita antiquitate fecerit, exinde quoque patet quod similiter Pascha Azymis iunctis septem tantum dierum esse dixit 16, 2—8.

3. *In annorum orbe septimus sabbaticus* est ita, vt *ager* satius requiescat nec nisi pauperibus depascendus relinquatur Ex. 23, 10. 11. Lev. 25, 1—7.; qui autem post septem annos sabbaticos sequitur *quingagesimus*, iubilaeus est ad vniuersam *ciuitatem* restaurandam Lev. 25, 8 sqq. De quibus cum nisi ex vniuersa ciuitatum antiquarum conditione apte dici nequeat, ob loci angustiam nunc vberius agere quaeque similia ad turbas ciuitatum sensim orituras tollendas et nouas tabulas vi impetratas euitandas a Lycurgo, Solone aliisque legislatoribus antiquis instituta sunt, comparare omitto: satis est monuisse, extremo hoc calculo omnia ita consumi, vt nihil vel deesse vel addi posse videatur.

Ac profecto aedificium sic exstructum vides simplex, excelsum, perfectum. Omnia vt vno quasi e spiritu prodeunt vnamque repraesentant

ideam, ita numeris congruis vno velut filo nexa perficiuntur. Neque infima operis huius laus est, quod quae iam prius e solius naturae externae impetu festa tempora aderant, arte prudenterque hîc non sublata et abolita, nec despecta et abiecta, sed restaurata vigoreque sano repleta et mente altiore disposita vides. Et hoc est quod admireris, pro tot tantisque quae apud alias gentes veteres conspiciamus, festis in ingentem numerum sine ordine et nexu satis aperto excrescentibus has ferias paucas esse, sed certas et continuas, vno lumine collustratas, ad vnum finem summum omnia referentes (quoduis enim Sabbatum Iahvae est). Quas ferias qui bene nouerit, is, puto, eas neque e naturae externae coeco impetu, neque ex historiâ populi paulatim ortas, sed ingenii altioris fructum esse sibi persuadebit. Licetque, qualis fuerit Moses, vel ex hoc solo instituto conicere.

III. Ac frustra quidem has ferias non esse institutas, fata ipsorum (vt iam datâ operâ de his dicam) docent: scimus enim, fundamentum vel nostro tempore non vacillasse. Videnturque ritus nonnulli inuitò Mose ex veterum religionum vel gentium vicinarum exemplo cum festis diebus coaluisse, quo refero hircum Azazelo deo deserti infausto sacrum quaeque ad eum pertinent ceremoniae Lev. c. 16.; neque enim eiusmodi ritus Mosaismo puriori respondet ¹⁾. Sed quominus omnes earum partes aequo vsu obseruarentur, temporum illorum rationes obstiterunt. Insunt enim instituto huic quaedam grandia magis et vere poetica, quae vitae quotidianae partim tarditati partim cupidini nimis essent inimica; nec legislator ipse omnia vi adigere cogitabat: adde populum proximis post Mosen seculis mox in licentiam degenerasse libertatisque vagae fuisse cupidissimum. Itaque quae remotissimae sunt systematis partes, eae minime obseruabantur, sicut ciuitatis totius anno iubilaeco restauratio post Mosen prorsus neglecta et omissa videtur simul cum anno sabbatico (Lev. 26, 34. 2 Chr. 36, 21. cll. Ier. c. 34.): vt ad consilium instituti mosaici non prorsus eludendum

1) Sed egregie fallitur, qui propter Azazel malum daemonem caput Lev. 16. post exilium babyl. scriptum putet: eiusmodi enim daemones, vt per se cogitare licet, antiquitus iam notos fuisse e Lev. 17, 7. apparet.

seruitutem hominum liberorum saltem post septem annos cessare debere dicatur Ex. 21, 2. cll. Deut. 15, 1—12., quo modo seruitutis quidem durties admodum mitigatur, sed, quod maius est, agrorum restitutio negligitur. In aliis simul veteris moris vis diutius obstitit: vt inter omnia annua tamen auctumnale tantum Tabernaculorum festum ante exilium Babylonicum frequentissime celebratum simpliciterque vulgo *אין festum* dictum est Hos. 12, 10. Ies. 30, 29. Zach. 14, 18. 1 Reg. 12, 32. Ps. 118. Neh. 8, 16 sq., et ipsa lex vulgaris tria tantum annua festa, Paschatis, Pentecostes, Tabern. poscit, quanquam quatuor septimi mensis festi dies facile praecipui Tabernaculorum festi nomine comprehenduntur, Ex. 23, 14—17. Deut. 16. cll. 2 Reg. 23, 22. At fundamentum omnium, septenum diem sacrum, lex semper seuerius inculcauit. Ex nouo demum, qui e sacris Iosia imperante reformatis 2 Reg. 22. et exilio Babylonico emergit, rerum mosaicarum omnium splendore renatoque tunc erga eas amore feriarum quoque omnium seuerior ac paene coeca obseruantia oritur ¹⁾.

Quae autem feriarum mosaicarum partes seculis iam post Mosen prioribus in populi animum moresque penitus descendunt, eae quo firmiter haereant et quo sint dilucidiores, cum historicâ populi memoriâ comparari et connecti incipiunt, vt historicus sensus vel laxiori vel arctiori vinculo iis immisceatur. Connecti vero amant cum mosaicae aetatis rerum memoriâ: quod nisi ferias a Mose instauratas et doctas esse ex vetustâ recordatione compertum habuissent seriores, vix fieri poterat. Ita quomodo e rerum mosaicarum successu sensus historicus paulatim ingestus et immixtus sit, euidentissime primum ex eo ipso, quod supra vberius describebatur, Paschatis exemplo elucet. Etenim facilius ceteris omnibus hoc in nouam hanc speciem traduci poterat. Quem enim in noui anni initio futuri temporis metum homo vbiq; terrarum concipere potest, eum vniuersus populus hebraeus extremo quo Aegyptum viderat tempore inter noui ^{qui} parturiētis dolores acerrime expertus erat. ^{ne in festo Iamiam}

1) Mirum in modum falli puto eos, qui his seculis excogitata esse sibi personibus loquuntur non bene cognoscent senescentis in V. T. dispersas inde

paterfamilias piaculo lato domum per nouum annum incolumem fore sperabat, imo pignoribus datis confisus mox ratum fore credebat: ita populus, quae de suâ salute perpetuâ nouisque quotannis viribus reuiuiscente multo maiora et sublimiora speraret, in aegyptiacae salutis omnium maxime insignis memoriâ rata videbat. Quâ ratione cum festum hoc vt salutis post angustiam summae recuperatae denuoque semper recuperandae memoriam recolens sensu Hebraeis post discessum ex Aegypto restauratis multo propiore ac fortiore redintegrari potuerit, non mirabimur, quod satis mature iam festum huc traductum est; nec repugno si quis nexum hunc ab ipso Mose eiusque discipulis proximis institutum et suffultum esse putet. Ad-sunt enim, quae hoc probent, argumenta satis perspicua.

Nam antiquissimum, quod Israelitae post mare rubrum superatum cecinisse dicuntur, epinicium Ex. 15, 1—18, quanquam in Palaestinae demum sanctuario quodam vt ad templi cultum pertinens festiuum carmen confectum est ¹⁾, ob id ipsum tamen aegyptiacae salutis memoriam mature cum cultu festoque annuo coniunctam esse indicat: quod festum quodnam potuit aliud esse quam Pascha? Simile enim est carmen Paschale multo serius affabre factum Ps. 113—114. Deinde locus de quo iam dictum est Ios. 5, 9—12. Pascha, quo tempore primum in Palaestina celebratum est, sensu iam hoc historico addito peractum esse ostendit: de Aegyptiorum enim seruitute et infamiâ sublatâ verba fiunt. Et locus Ex. 23, 15., quo primum mense Abib seu verno ob egressum ex Aegypto eo mense olim factum Pascha celebrandum esse breuius dicitur, ad antiquiores pertinet.

Fuit vero, si quid video, nexus hic sensus inter festi eiusdem duos, natiuum et historicum, primis temporibus admodum tener et laxus. Sed cum historica animum humanum, e quo progressa sunt, multo fortius occupant detinentque diutius quam naturalia, labentibus seculis sensus histo-

1) Sententiam hic pronunciaui alibi fusius defendendam; veram tamen eam esse, quo pluribus vicibus meditor, eo magis mihi persuadeo. Similia carmina templi cuiusdam et diei festi vibus inscripta Indis sunt multa, *Mahdtmâni* dicta, de quibus v. Mackenzie Collection — by H. H. Wilson, Calcuttae 1828. et *Göttingische GA.* 1830, p. 1764 sq. Ceterum carmen illud primo post Mosen seculo ortum, id vero est, antiquissimum esse censeo.

ricus ita praeualuit, ut in eius lumine quaecunque ad festum pertinerent aspicere et contemplari coeperint homines hac religione imbuti. Cui studio qui prorsus satisfaceret, existit tandem auctor historiae exitus aegyptiaci vberioris idemque Paschatis sacrorum interpret solers Ex. c. 12—14.

Grauissima profecto tota est narrationum series Ex. c. 1—15., cui singula haec inest: nec singulam nisi omnibus ex origine suâ bene perspectis intelligere licet. Spectaculum hîc a scriptore Mose aliquot seculis sequiore propositum videmus grande, sublime, vere diuinum, nec minus splendide grauiterque per singula finitum. Deperditis enim de re olim praeclare gestâ notionibus exactioribus, cum nihil fere nisi Dei olim Adiutoris et Vindicis memoria superesset, ex paucis sed grauissimis quae supererant historiae fragmentis drama quasi diuinum componebatur, in quo Iehovae (seu potius Iahvae) virtus ratioque agendi splendidissime elucesceret. Sub finem dramatis (neque enim omnia hîc exsequi iuuat), vbi salus in summo rerum discrimine summa Hebraeis recuperata vnâ cum exitu describenda erat, idoneum, quo, quotquot cum rei historicae memoriâ apte componi possent ceremonias Paschatis explicaret, locum auctor inuenit. Pertinet igitur huc ante omnia sacrificii cruenti explicatio, quam ita dedit, ut ad cladem letalem Aegyptiis instantem et denique inflictam ab Hebraeis arcendam deo iubente piaculum esse latum semperque in huius salutis memoriam quotannis redintegrandum esse narraret, immolandi animalis et comedendi ritus exponens. Non lautas esse debere et laetas has dapes (ut in auctumni festo), sed angore potius et tremore ob pericula imminencia viuido comedendas, facile ita dici poterat, ut Hebraeos olim velut ad iter obscurum accinctos sollicitosque Pascha edere iussos esse narraretur Ex. 12, 11. Difficilius paulo primitiarum causa inserta est, cum Hebraeos in Aegypto pastores potius quam agri cultores fuisse nec agri primitias sacrificare potuisse auctori ex totius antiquitatis traditione compertum esset. Alium propterea nexum excogitauit, idque ingeniosissime. Cum enim extremae plagae Aegyptiis perpetiendae loco ex Aegypti terrae ratione ¹⁾

1) Cf. locutionem prouerbialem: *pestis* בַּרְרָה *vid* i. e. modo *Aegypti*, aegyptiacae similis seu grauissima Am. 4, 10. Pestis autem Ex. 9, 1—7. descripta non fuerat hominum; morbus hominum Ex. 9, 8—12. delineatus non letifer.

pestim, at eam solito grauiorem acerbiorémque ponere congruum videretur; verno autem tempore primitiae omnes, hominum quoque et animalium e vetere superstitione diis soluendae ¹⁾ sint, qui eas, nisi virtute hominum redimantur, irati perimant: primogenitorum stragem aegyptiacorum auctor ita introduxit, vt Hebraeis hoc grauissimo exemplo monitis primitias grato animo dandas esse doceret, Ex. 11, 4—8. 12, 12. 13, 1—16. cll. Num. 3, 11—13. 44—51. Deut. 15, 19—23. et quae de agri primitiis suppleantur Num. 15, 17—21. 18, 11—13. Deut. 18, 3—5. 26, 1—11. Cumque azymorum quoque originem e sacrâ historiâ repetere congruum videretur, Hebraeos ob temporis fugam angustiasque panes ne fermentare quidem potuisse sed rudem massam secum abstulisse per sacros dies comedendam auctor narrat Ex. 12, 39. Denique, cum auctor tempore prior Ex. 23, 15. festum mense Abib esse habendum, quod Hebraei eo mense exiuerint, vagius et minus distincte dicat, serior omnia ad diei quarti decimi noctem huius diei diuini nobilitandi causâ concurrisse datâ operâ distinctius tradit Ex. 12, 6. 17. 29. 41 sq. 51. Itaque materiam, quam inuenit tractandam, duplicem, alteram historiae fragmenta pauca, alteram festi verni ceremonias ab atavis traditas, aequabili et sapienti temperamento miscuit et dispescuit auctor dispersa obsoletaque in nouam formam iucundam redacturus ²⁾.

1) Primitias humanas a familiâ vel populo aliquo antiquo *quotannis* sub ver adueniens mactatas esse, quis vnquam apud veteres scriptores legit vel probare poterit? Sufficit, *nonnunquam* et *raro* superstitionem vel ad homines sacrificandos deuenisse, vt in magnâ terrae calamitate Sabini quicquid plantarum, animalium, hominum ver attulerat, Mamerti sacrificasse, Romani *ver sacrum* decreuisse (Liv. 22, 10.), Phoenices et Puni similia fecisse traduntur 2 Reg. 3, 27. Vnde non est, quod (cum Bauro l. c. p. 52 sqq.) animal Pascha dictum hominum primitiis legislatorem substituisse putes atque ita mythorum huc pertinentium rationem originemque inuertat.

2) Ceterum partim ex hoc, qui Paschali inhaesit, redemptionis ac salutis diuinae quotannis a quouis Hebraeo recuperandae sensu partim ex summâ eius festi antiquitate ortus est eius vt symboli ex religione mosaicâ necessarij vsus grauissimus, vt hactenus circumcisioni par sit, Ex. 12, 15. 19. Num. 9, 9—14.

Quodsi quis de his omnibus adhuc ambigat, is perpendat velim, quod de verno festo modo demonstratum est, idem ad auctumnale paulatim esse traductum; vt historici eiusmodi sensus festis antiquioribus immiscendi studium semper latius serpere pateat. Nam ad auctumnale festum multo difficilius sensus vt breuiter dicam Hebraeus traduci potuit, quia id verno festo simplicius erat et terrestri magis gaudio dicatum, in frugum omnis generis collectarum memoriam ab omni inde aeuo summo ardore celebratum. Vel sic tamen studio illo inualescente festum hoc ad Israelitarum quondam splendidâ et festiuâ suâ aetate in deserto habitantium memoriam recolendam translatum est, ansâ a tabernaculis ductâ, quae cum e sensu festi agrestis primitiuo ob exultationem de vindemiâ ceterisque agri frugibus collectis liberius euagantem exstruerentur, serioribus tamen simul vitae olim in deserto Scenitarum more actae recordationem mouere poterant. Nec nisi ab vno auctore Lev. 23, 43., et obiter quidem, hic festi finis exponitur: antiquior scriptor qui Pascha ex historiâ deriuat, de hoc tacet Ex. 23, 16.; nec serior rursus scriptor Deut. 16, 13—15., quod loci Leuitici libri auctor inceperat persequitur ¹⁾).

Grauius est, ipsum Sabbatum ex historiae fide et lumine subsidia petiisse. Non de creationis tantum mundi historiâ loquor, quae quatenus opus diuinum per hebdomadem continuatum finitumque describit, ante Mosen adesse poterat (hebdomadis enim sanctitas vetustior est, sed qualis nunc Gen. 1—2, 3. legitur mosaico spiritu repleta, non nisi post notiones de Sabbato sublimiores Mosi proprias oriri potuit, orta autem, cum Sabbati notio, quo exprimeretur, modum in eâ inuenisset perfectum, lumine suo ipsius rursus Sabbati notionis et veritatis exemplum iure haberi debuit summum et maxime perspicuum, Ex. 20, 11. 31, 17. cll. Gen. 2, 1—3.); nec repugno, imo in eam pronus sum sententiam, si quis Mosen ipsum creationis historiam hanc non scripsisse, qualis nunc legitur, tamen prae-

Nec tamen vtriusque huius symboli ex antiquitate sacri tanta fuit auctoritas quanta Sabbati recenter a Mose introducti internoque sensu multo grauioris.

- 1) Taceo de Pentecostes festo, quod Rabbini, cum tertio anni sacri mense celebratur, legum latarum memoriam seruare voluerunt propterea quod Israelitae mense post exitum tertio ad Sinai montem consedissee dicuntur Ex. 19, 1.

iuisse et tradidisse censeat. Sed de aliâ potius re dicendum est mirabili-
 liori: nam vel ex ipsius mosaici temporis memoriâ seriùs Sabbati sanctita-
 tis ex historiâ probandae adminiculum quaesitum esse videmus. Cum enim
 institutorum sacròrum et vim integram et originem in aeuo mosaico quae-
 rere et illic humana diuinaque omnia ad sacra Israelitica condenda et sta-
 bilienda mutuo quasi auxilio concurrisse putare didicissent seriòres (opi-
 nione non falsâ omnino, sed qualem tempora labentia effecerant, obscuriore,
 tantum et crassiore): sabbati vim quoque eo tempore grauius inculcatam
 et doctam esse credere poterant; cumque Israelitas, etsi Mannâ tantum
 quotidianâ vescentes, in deserto tamen exinde ad otium sabbaticum agen-
 dum detrimenti nihil perpessos esse viderent, tandem narrator aliquis ex-
 stitit qui Manna Sabbatis frustra quaesitum, sed ob duplicem eius copiam
 pridie factam sine detrimento sublatam esse vnice ad Sabbati vim expli-
 candam traderet Ex. 16, 5. 19—27.; cf. vt similibus rerum ortum cernas,
 Lev. 25, 19—23.; Deut. 8, 4. 29, 4. cll. Ies. 5, 17. Similis prorsus haec
 ratio ei est, quam in Paschate historice explicando vidimus.

Haec igitur, aliquas saltem ferias mosaicas iam prioribus seculis alte-
 rimis hominum infigi coepisse, demonstrant: cum his autem cum ceteras
 vno filo cohaerere cognouerimus, quis quaeso ex raro instituti cuiusdam
 vsu solo argumenta contra Mosen auctorem petet? quis tam fatuus est, vt
 ex omnibus annuis festis Mosen non nisi diem festi auctumnalis vltimum
 sanxisse sibi persuadeat? Sed pedem hîc sisto: quae enim post exilium
 nouae feriae accesserunt, ex alio sunt genere et cum mosaicis genuinis
 aegre consociandae, imo iis, si quid sentio, inimicae. De hebraeis autem
 disserere constitui, non de iudaicis multo ignobilioribus.





